

contracta sunt valida. Nec obstat lex Ecclesiæ, quæ irritat matrimonia clandestina, etiam in locis in quibus Tridentinum non est receptum, quoties peregrini eo se conferunt *in fraudem legis*, seu ad contrahendum absque solemnitate ab Ecclesia requisita. Nam, in casu, sponsi galli non se contulerunt in Angliam causa clandestine contrahendi, sed mercaturam exercendi, et ibi, data occasione, contraxerunt. Ergo minime egerunt *in fraudem legis*, seu contra Decretum Trid. *Billuart, diss. 7, art. 12, cum Gonet, Pontio et aliis, contra Sylvium et alios.*

1013. — *In secundo casu* validum est matrimonium. Ratio est, quia puella angla valide matrimonium inire potest in sua regione ubi servavit domicilium, absque assistentia Parochi. Porro sponsa sponso suo privilegium quo fruitur communicat. Ergo valide ibidem contrahunt. Nec obstat quod se contulerint e Gallia in Angliam cum intentione contrahendi sine solemnitate: nam minime egerunt *in fraudem*, siquidem jure suo usi sunt *ratione validitatis*, licet egerint *illicite et graviter* quidem. *Billuart, ibid. post Bened. XIV, de Synod. l. 6, c. 6, n. 12. — V. Comp. n. 840.*

## CASUS XXXI.

## CLANDESTINITAS 2°.

1° FLORIANUS, miles anglus, in Hispania militans, ibidem matrimonium secreto inivit cum Angla, quæ milites secuta fuerat.

2° FLORIMUNDUS pariter Anglus, iter agens per Galliam cum puella angla, eadem Parisiis clandestine in uxorem ducit.

3° FLORIBERTUS et DOROTHEA clandestine contraxerunt tempore magnæ perturbationis gallicanæ, ne coram Parocho intruso contraherent.

HINC :

QUÆR. 1° *Quid de validitate et liceitate matrimonii in primo casu?*

2° *Quid in secundo casu?*

3° *Quid in tertio casu?*

SOLUTIO :

1014. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæs.* Invalidum est matrimonium *in primo casu*. Etenim, etiamsi non ageretur de lege communi Ecclesiæ, sed de lege particulari loci, servari deberet ab omnibus domicilium vel quasi-domicilium ibidem habentibus. Atqui præfati sponsi quasi-domicilium habent in Hispania, propter diuturnam commorationem in eodem loco, ut in casu supponitur. Ergo tenentur lege Tridentini circa clandestinitatem in Hispania vigente. Ergo, clandestine contrahendo, invalide contrahunt. Quid vero, si quasi-domicilium in loco non acquisiverint? Tunc casus in sequentem recidet.

1015. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæs.* Invalidum quoque est matrimonium *in secundo casu*. Ratio est, quia peregrini saltem quoad solemnitatem contractuum tenentur ad leges locorum per quæ transeunt. Ergo, si in contractu non servetur forma in loco præscripta, contractus non subsistit. Atqui, in casu,

sponsi peregrini non servarunt formam solemnem contractus matrimonialis in tota Gallia vigentem. Ergo valide non contraxerunt matrimonium. *Ita S. Lig. n. 1080. — P. Perrone, de Matrimonio christiano, t. 2, sect. 1, c. 6, art. 4, post Schmalzgrueber, Pirring, etc.*

Præterea lex Ecclesiæ, præscribens formam solemnem matrimonii, est lex generalis, quæ ex Statuto Trident. efficaciam non habet in aliquibus locis in quibus non fuit publicata. Atqui omnes peregrini subijci debent legibus Ecclesiæ communibus quæ vigent in loco ubi degunt, licet non vigeant in eorum patria, et ipsi transeundo tantum ibi reperiantur. Ergo, etc. Porro lex prohibens clandestinitatem est lex Ecclesiæ generalis et territorialis, quamvis Tridentinum noluerit eam absolute in omni loco urgere, quin ibi publicata fuerit. Ergo peregrini contrahentes matrimonium, prætermissa legis præscriptione, invalide contrahunt. Plerique Theologi docent matrimonium sic contractum irritum esse, fatente *Carrière*, qui tamen tenet *probabilius* illud validum esse. *P.* autem *Perrone*, in opere citato, multas decisiones congerit ad invaliditatem invicte demonstrandam.

1016. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæs.* Validum est matrimonium *in tertio casu*, si recursus ad proprium Parochum, vel ad Episcopum haberi non potuerit. Recte autem egerunt sponsi Parochum intrusum non requirendo, cum omni jurisdictione destitutus esset, et insuper declinandus ut schismaticus.

## CASUS XXXII.

## MATRIMONIA HÆRETICORUM 1°.

DACIANUS et PRISCA, hæretici, matrimonium contrahunt coram ministro protestante, sed, paucis post annis, ambo feliciter ad Fidem catholicam convertuntur. Dubitat autem loci Parochus, an eorum matrimonium solemniter renovari debeat.

HINC :

QUÆR. 1° *An valida sint matrimonia clandestina hæreticorum, in locis ubi viget Decretum Tridentinum?*

2° *Quid speciatim de hæreticis in Gallia degentibus?*

3° *An conjuges ad Fidem conversi consensum coram Parocho et testibus renovare debeant?*

SOLUTIO :

1017. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæs.* *Controvertitur* inter Theologos. Videtur tamen omnino negandum ob sequentes rationes.

1° Lex Tridentina lata est in omnes christianos, seu in omnes qui subiacent jurisdictioni Ecclesiæ, absque ulla distinctione. Ergo lata est in hæreticos, sicut in catholicos, cum Ecclesiæ jurisdictioni subiaceant. Ubi enim lex non distinguit, nec nos distinguere debemus; insuper hæretici secus commodum ex sua iniquitate reportarent. Ergo matrimonia hæreticorum inita contra irritantem Tridentini præscriptionem prorsus invalida sunt.

2° Juxta plerosque Theologos invalida sunt matrimonia mixta, sine Sacerdote celebrata in illis regionibus in quibus viget Decretum Tridentinum; porro nulla alia de causa irrita censentur, nisi quia hæretici Decreto illo obstringuntur: secus enim, ob individualitatem contractus, valida forent; siquidem pars hæretica a lege Ecclesiæ excusaretur. Ergo, etc.

1018. — 3° Ex declaratione *Benedicti XIV*, matrimonia hæreticorum, vel mixta, valida sunt in Hollandia, licet absque solemnitate celebrentur. Ergo invalida sunt in aliis regionibus. Nam exceptio firmat regulam. Quorsum enim declararentur valida in hoc loco, si essent valida ubique?

4° Præfata Declaratio extensa est postea ad aliquas alias regiones, in quibus hæretici dominantur, licet Decretum Tridentini ibi publicatum fuerit. Ergo sine tali Declaratione nulla forent, prout expresse et sæpius a Sac. Cong. declaratum est. Ergo similia connubia in aliis locis, ubi Decretum Tridentinum est receptum, invalida sunt; secus enim prorsus inutilis fuisset extensio ista. Quorsum enim illa Declaratio fieret, si matrimonia in illis regionibus jam valide celebrarentur?

1019. — 5° Doctrina nostra confirmatur innumeris Decisionibus Sac. Congregationum, quæ SS. Pontificum instrumenta et organa sunt, et quarum declarationes vel decreta nunquam absque Pontificis approbatione promulgantur. Hæc autem Sac. Congregationum responsa, privatorum Theologorum et Canonistarum auctoritati præferri debent et anteponi. Sufficiet autem pauca ex iis hic referre.

Ulmæ in diocesi Constantiensi quidam MARCUS CHRISTOPHORUS BURCK, catholicus, nuptias contraxerat cum muliere lutherana ANNA MARIA MEGELIN coram ministro lutherano. Hinc S. Congregationi propositum fuit dubium: an constaret de nullitate matrimonii in casu, etc.? S. Cong., priusquam dubium solveret, quæsivit num Concilii Trid. Decreta fuerint in Ulmensi civitate promulgata? Accepto responso affirmativo ab Episcopo Constantiensi, ad propositum dubium respondit affirmative, seu constare de nullitate ejusmodi matrimonii. Agebatur tamen in hoc casu de regione in qua idem rerum status vigeat, ac in Hollandia; ibi enim hæresis impune grassabatur. Nullum igitur dubium esse potest dispositionem *Benedicti XIV* esse localem, ex mente Sedis Apostolicæ, neque ad casus similes extendi posse, sine nova et explicita ejusdem S. Sedis Declaratione.

Congregatio Conc. Trid. 19 Jan. anno 1605, in rescripto ad Episcopum Trichariensem, Nuntium apostolicum in Belgio, respondit: hæreticos quoque, ubi Decretum C. Trid. est publicatum, teneri talem formam servare, et propterea ipsorum matrimonia absque forma Concilii, quamvis coram ministro hæretico, vel magistratu loci contracta, nulla atque irrita esse.

Vide alia hujusmodi responsa bene multa apud *P. Perrone, de Matrimonio christiano, tom. 2, l. 2, sect. 1, c. 6*; et apud *Analecta Juris Pontificii, t. 3, p. 1066*.

1020. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæ.* Matrimonia hæreticorum in Gallia sunt habenda ut invalida. Constat ex dictis. Etenim matrimonia hæreticorum, vel mixta, sunt prorsus irrita sine forma Trid. ubi Decretum Concilii viget, si excipiantur Hollandia, et aliæ paucæ regiones, ad quas Declaratio *Be-*

*nedictina* extensa est. Atqui hæc Declaratio non fuit extensa ad Galliam. Ergo hæretici in Gallia non sunt potioris conditionis. Ergo eorum connubia ibi sunt invalida.

Constat etiam ex particularibus SS. Congregationum responsis. Etenim Vicarii capitulares Pictavienses anno 1818 postularunt « num matrimonia clandestina Protestantium in Gallia sint valida, cum hodie *statum civilem* ibi habeant, *societatemque religiosam efforment, a Societate catholica distinctam*, quæ suos ministros suosque usus habet... » Respondit S. Congregatio Inquisitionis Vicariis capitularibus Pictaviensibus: « Decretum *Bened. XIV*, an 1741, editum super matrimoniis Hollandiæ, censetur respicere *tantum* matrimonia *in iis provinciis* contracta, vel contrahenda, non autem alia matrimonia *in aliis locis* inita vel ineunda, quibus idcirco applicari nequit, absque *nova et speciali* Sedis Apostolicæ Declaratione... »

1021. Accedit alia responsio emissa a S. Pœnitentiaria die 28 Mart. 1838; cui cum proposita fuissent nonnulla dubia ab Episcopo Gratianopolitano, tertium istorum dubiorum ita se habebat: « Utrum matrimonia ab hæreticis inter se inita, aut cum catholicis, juxta solas leges civiles, seu coram ministro hæretico, sine præsentia Parochi catholici, valida sint in Galliis, et in aliis regionibus, ubi Protestantes et hæretici omnes habent suos ministros, templa, *statum legalem* a Gubernio probatum? » Respondit: « *Ad 3<sup>m</sup> negative, exceptis regionibus de quibus loquitur Bened. XVI in declaratione die 4 Nov. 1741, atque ad quas per successores suos illa eadem Declaratio extensa est.* »

*V. P. Perrone, ibid. — Analecta Juris Pontificii, ibid.*

1022. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæ.* Ex dictis in antecessum, patet responsio. Etenim matrimonia hæreticorum, sine forma ab Ecclesia præscripta, sunt invalida, exceptis excipiendis. Ergo, si ad veram Fidem convertantur conjuges hæretici, qui coram suæ sectæ ministro matrimonium inierunt, debent denuo contrahere coram proprio Parocho et duobus testibus. Ergo DACIANUS et PRISCA, conjuges hæretici, ad Fidem catholicam conversi, suum matrimonium juxta Ecclesiæ leges et formam renovare debent.

### CASUS XXXIII.

#### MATRIMONIA HÆRETICORUM 2°.

TARSILLA, hæretica, cum DRUSILLO pariter hæretico conjuncta, et in loco ubi viget lex Tridentina habitante, divinæ gratiæ impulsu percussa, veram Fidem amplectitur, invito quidem marito, qui in errore obduratus remanet. Hinc mulier anxia quærit a BERNARDO, Confessario, quid sibi sit faciendum? « Debes a viro discedere, ait ille, tum propter salutis periculum, tum quia invalidum est tuum matrimonium. Quare potes etiam alteri nubere. » Quo certior veritatis fiat, alium etiam interrogat Sacerdotem, qui, a priore dissentiens, ait: « In pace remanere debes cum tuo viro, et maritali modo cum eo vivere. » Quapropter misera a te quærit casus solutionem.

HINC :

QUER. *An TARSILLA cum viro remanere possit et cum eo maritali modo vivere? An, contra, discedere debeat, et ad novas nuptias convolare possit?*

SOLUTIO :

1023. — *R. ad Quæ.* Per se admittenda est solutio prioris Confessarii, saltem quoad substantiam, ut sequitur ex iis omnibus quæ superius dicta sunt. Sed quoad formam minus prudens et opportuna videtur ejus responsio. Non debuisset enim adeo festinare, ut mulierem e bona fide retraheret; sed prius recurrere ad Episcopum, et per ipsum, ad S. Sedem, ut resciret modum difficultatem solvendi. Posset enim S. Sedes in tali casu concedere dispensationem in radice ad matrimonium convalidandum, quin maritus consensum renovare debeat, si prævideatur ipsum ad Sacerdotem catholicum non accessurum esse.

1024. — Aliquando etiam Curia Romana in hujusmodi casu suadet, ut sponsi in bona fide circa matrimonii invaliditatem relinquuntur. Sic responsum est in casu sequenti proposito ab Episcopo Vivariensi in Galliis, anno 1843. Duo hæretici matrimonium contraxerant, quorum unus postea Religionem catholicam amplexus est. Teneturne, ut stet matrimonium, consensum coram Parocho renovare, aut potius pars quæ Religionem catholicam amplexa est, circa validitatem matrimonii in bona fide est relinquenda? Interrogato Episcopo circa adjuncta casus, Congregatio suprema Inquisitionis respondit, 6 Julii 1848: *Conjuges de validitate matrimonii non dubitantes, in bona fide esse relinquendos, neque a participatione Sacramentorum arcendos fore.* Hæc autem resolutio ab alia particulari Congregatione adoptata est, quæ insuper addit: *Quamvis autem nulla sint illa matrimonia, consultum tamen quam maxime erit in casibus particularibus recurrere ad Sedem Apostolicam, expositis omnibus facti circumstantiis, quæ tunc modo magis opportuno huic rei providebit.* — V. Perrone, *ibid.*

#### CASUS XXXIV.

##### ASSISTENTIA PAROCHI 1°.

SABINUS, invitis parentibus, sponsalia contraxit cum SABINA. Parochus ab his requisitus, ut mox eorum matrimonio assisteret, et eodem tempore rogatus a Patre SABINI ut non interveniret, declaravit se huic matrimonio non adfuturum esse, donec sponsi genitor obsisteret. Sed ecce! dum Parochus Sacrum faceret, et ad populum converteretur, adstant sponsi ante altare cum testibus, et declarant se invicem accipere pro viro et uxore. Postea recedunt et maritali more vivunt.

2° GETULIUS, contractis sponsalibus cum CLARA, eam derelinquit, ut matrimonium contrahat cum BLANDINA. Id rescians ABUNDIUS Parochus, recusat matrimonio assistere. Quid tum GETULIUS et BLANDINA? Rogant

quemdam amicum, ut Parochum ad mensam invitet cum duobus aliis amicis qui futuri matrimonii testes forent. Sub convivio comparent GETULIUS et BLANDINA, et coram omnibus clara et alta voce declarant se matrimonium contrahere de præsentis. Declarat obstupefactus Parochus se minime intendere matrimonio assistere, et res sacras in medio convivio non fieri. Sed, eo renuente, abscedunt sponsi, atque ut veri conjuges vitam degunt.

HINC :

QUER. 1° *Quænam requiratur Parochi assistentia?*

2° *An valeat matrimonium si Parochus, licet præsens, sit invitus, vel non requisitus?*

3° *Quid ad casus?*

SOLUTIO :

1025. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ.* Parochus debet esse moraliter præsens, ita ut de re peracta testimonium reddere valeat, quia ab Ecclesia ut testis principalis adhibetur. V. *Comp. n. 851.*

*R. ad 2<sup>m</sup> Quæ.* Valet matrimonium, licet Parochus non advocetur, neque de matrimonio contrahendo præmoneatur, sed satis est si casu in loco reperiat, vel si alio prætextu ad aliud accersatur. Imo valet matrimonium, licet Parochus sit invitus, reluctans, vel metu ad assistendum coactus. Ratio est, quia, his non obstantibus, testimonium de re peracta perhibere potest, et proinde est vere testis. Ex variis Decisionibus S. Cong. constat. Attamen aliquo modo debet requiri, seu adhiberi a sponsis ut testis connubii contracti, ita ut attendat ad matrimonialem contractum coram ipso celebratum. Satis est autem ut implicite interpelletur, ita ut clare intelligat se requiri et adhiberi ut testis rei peractæ. Constat etiam ex variis Decisionibus S. Cong. apud *Analecta Juris Pontificii, t. 2, p. 1891 et seq.*

1026. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæ.* In primo casu, valet matrimonium. Ad hoc enim satis fuit ut Parochus certo animadverteret sponso velle inire matrimonium, ipso præsentis, et mutuum eorum consensum dari intelligeret. Licet enim mox ad altare se converterit, potuit bene verba consensum exprimentia audire. Neque necesse est ut Parochus sponso videat, siquidem Parochus cæcus valide matrimonio assisteret. Casus similis evenit Romæ anno 1850, et declaratum est validum matrimonium ab Eminentiissimo Cardinali Vicario, licet fuerit graviter illicitum, utpote cum contemptu regularum canonicarum celebratum; attamen, cum paulo post sponsus rei pœnitens a sponsa discedere vellet, et nullitatem matrimonii invocasset, res ad S. Cong. delata fuit. Interea vero exortum est etiam dubium de copula illicita ex affinitate. Hoc dubio discusso, S. Cong. declaravit, *non constare de nullitate matrimonii.* V. *Analecta Juris, ibid.* Nec quæstio de Parochi valida assistentia est agitata, et proinde sufficiens visa est ad connubii valorem. Itaque saltem non constat de invaliditate hujusmodi matrimonii: ergo sponsi, licet graviter peccaverint, de valore tamen contractus nuptialis non sunt inquietandi.

1027. — *In secundo casu* validum etiam matrimonium reputandum est, quia ex circumstantiis patet Parochum fuisse adhibitum ut testem, et revera ipsum testem fuisse, seu matrimonium coram ipso sciente et vidente contractum fuisse. *Voit*, n. 1242. Non autem obstat valori matrimonii quod in mediis epulis, et repugnante Parocho, initum fuerit.

## CASUS XXXV.

## ASSISTENTIA PAROCHI 2°.

SALVIANUS, vir dives, BLANDINAM e domo matris abducit, et eam diurna stupri consuetudine implicatam tenet. Postea vero, ad meliorem frugem revocatus, puellam propriis expensis in matrimonium MARINO opifici collocat. Ipse SALVIANI Parochus matrimonium benedicit. Paucis mensibus elapsis, BLANDINA, virum pertæsa, rursus se domum SALVIANI recipit. Quapropter MARINUS divortium ab ea facere statuit, imo ad alias nuptias convolare proponit, contendens matrimonium esse nullum, quia Parochus illegitimus, seu Parochus concubini, illi præsens fuit.

HINC :

QUÆR. 1° *Qualis Parochus assistere debeat?*

2° *Quid de validitate præfati matrimonii?*

SOLUTIO :

1028. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæs.* Ille solus Parochus valide assistere potest matrimonio, qui est proprius Parochus alterutrius contrahentium, seu qui in eos, vel saltem in alterutrum jurisdictionem habet. Jurisdictio autem Parochi constituitur per domicilium habituale, aut quasi-domicilium sponsorum, seu alterutrius eorum in ejus parochia. Licet autem in aliis casibus ad quasi-domicilium requiratur habitatio alicubi per majorem anni partem, pro matrimonio tamen contrahendo, sufficit habitatio unius mensis, ut constat ex Declaratione *Benedicti XIV*, in Epistola ad Episcopum Goanum : *Paucis abhinc annis. V. Comp.*, n. 845-846.

1029. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæs.* Validum est matrimonium BLANDINÆ et MARINI. Ratio est, quia Parochus SALVIANI, qui huic matrimonio astitit, gaudebat jurisdictione sufficienti in BLANDINAM. Hæc enim e domo materna aufugiens, statuit habitare diu et indefinite apud SALVIANUM; hoc autem jam satis esset ut quasi-domicilium a principio acquisierit et matrimonio, elapso mense, jungi posset a Parocho loci. Sed præterea BLANDINA diu ibidem de facto commorata est, ergo quasi-domicilium acquisivit in loco commorationis; ergo valide a Parocho loci juncta est in matrimonium cum MARINO. Ergo MARINUS matrimonium ratione vinculi dissolvere nequit.

1030. — Attamen *Comitolus*, qui casum exhibet, docet invalidum esse hoc matrimonium saltem *admodum probabiliter*, l. 1, 9-110. Sponsi enim, ait, non sunt legitimo Parocho conjuncti, quia BLANDINA non habuit ibi verum domicilium, quod sic probare contendit : Illud domicilium

concubinæ apud amasium est prorsus illicitum et ab Ecclesia reprobatum, ex eo quod cum injuria Ecclesiæ contractum fuerit, et proinde non est legitimum. Sed respondetur, hic agi de vero domicilio facti, quod ad valorem matrimonii sufficit; illicita enim habitatio alicubi, non impedit quominus verum domicilium per eam acquiratur. Secus meretrix, quæ decem annis alicubi habitavit, non posset ibidem matrimonium contrahere, quod videtur absurdum.

## CASUS XXXVI.

## ASSISTENTIA PAROCHI 3°.

BERTOLDUS, cælebs, vir ditissimus, solet singulis annis se conferre in villam quam habet in loco valde dissito, ut mense uno tantum, scilicet mense septembri, ibi commoretur. Data autem occasione, licet septuagenarius, matrimonium inire statuit cum FLAVIANA, repugnantibus cognatis, qui hæreditati inhiabant. Voluit autem nuptias in villa inire, tempore solito quo in villam tendebat, ut majori gaudio celebrarentur. Igitur rogatus loci Parochus matrimonium benedixit, et læti convivii particeps fuit. Paulo post BERTOLDUS, carens filiis, instituta uxore sua omnium honorum hærede, repente obiit. Sed hæredes legitimi contenderunt FLAVIANAM minime fuisse BERTOLDI uxorem legitimam, quum illegitimus Parochus matrimonio astiterit, adeoque invalidum fuerit matrimonium.

HINC :

QUÆR. 1° *Quid de validitate hujus matrimonii sit sentiendum?*

2° *Quid, si Episcopus loci fuerit delegatus ab Episcopo domicilii ordinarii ad hoc matrimonium benedicendum, et ille Episcopus Parochum delegaverit?*

SOLUTIO :

1031. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæs.* Matrimonium istud ut invalidum habendum est. Ratio est, quia, licet ex Declaratione *Benedicti XIV*, commoratio per unum mensem sufficiat pro domicilio legitimo ad matrimonium contrahendum, attamen habitatio per unum mensem in aliquo loco, *recreationis* aut *rusticationis* causa, non habetur ut domicilium serium, seu verum.

Declarat enim *S. Cong. Conc.*, Parochum ruralem non valide assistere matrimonio eorum qui rus se conferunt *recreationis causa*, aut pro rusticis negotiis. Hanc Declarationem refert *Bened. XIV, Inst.* 33, n. 7. — *Vide Analecta Juris Pontif.*, tom. 2, p. 1886. — *S. Lig. n.* 1086.

1032. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæs.* Non satis est, et invalide sponsi coram illo Parocho contraherent. Ratio est, quia adhuc deficeret jurisdictio propter delegationis defectum. Etenim ex præfata delegatione sequeretur Episcopus loci esse quidem delegatum, sed non infertur eum posse delegare. Jurisdictio enim delegata non potest subdelegari. Attamen valida esset delegatio, si Episcopus proprius delegaret quemlibet Sacerdotem, ab altero Episcopo designandum, quia tunc delegatio immediata ab Episcopo proprio procederet.